



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.9. Summa tertiæ Partis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

gitata, tanti ponderis est, ut totum in sese
 animum mentemque absorbeat. Hinc illa
 sapientium axiomata: *Annos aeternos in men-
 te habui. Quid ad aeternitatem? Nihil mag-
 num est, quod finem habet. Sapienti nunquam
 ista temporalia placuerunt. Aeternum bene,
 aeternum male.* Et plura consimilia.

Et revera si, ut justum est, expenderis, in
 stuporem identidem rapient te. Quid enim?
 summum bonum possidetur tota securita-
 te, & totum, & totum simul, non auferen-
 dum unquam, non intermittendum, non
 conscribendum. Potest dicere beatus: Mihi
 bene est, aeternumque erit. Habeo supra vo-
 ta, idque securus. Enim vero quid habes si-
 mile? quid vicinum? ubi sunt? non dico ubi
 erunt? sed ubi sunt deliciae tuae, etiam quibus
 & quando frui te putas? nonne occidunt an-
 te etiam, quam sint, plenae praeteriti atque
 futuri, vacuae praesentis? nihil enim stat. De-
 inde quales sunt, quamque putidae? quam-
 que putidae? quid tibi servat mundus post
 mortem? quid in morte? quid ante mortem?

§. 9. *Summa tertiae Partis.*

Ecce à Deo habes omnia, ut audisti, &
 vi-

vitam meritis plenam, & mortem optatissimam, & quæ sequuntur ad utramque, carnis tuæ gloriam, animæ triumphum, sedem, quietem, beatitudinem omni ex parte tum animi tum corporis; & hæc omnia summa, immensa, æterna, qualia Deus habet, sinè metu, sinè vicissitudine, sinè divisione, totâ, ut dixi, securitate. Jam hîc ego te convenio, totâque contentione tecum pugno. Spes alit, inquis: *spe geruntur inter homines omnia.* (*Salvian.*) Bene habet. Hic est amor tuus & tui. Agedum. Ubi par à Deo spes? ubi fors? ubi patrimonium? ubi merces? ubi corona certantibus æqualis? in Olympiis, an in Isthmiis? Capitolione an Prytaneo? quid tibi datur? frons *pro quâ ne capella quidem pedem moveat.* (*Chrysost.*) O fides! & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, ab omnibus se abstinere: tu Christianus, tu candidatus æternitatis, ut incorruptibilem obtineas, ut immensam, qualémque dixi, imò qualem nec dixi, nec dicere potui; saltem ab illicitis non temperabis: invenientur apud Platonem Olympici virgines, & multis illi ut pugiles sint, ut athletæ? tu ut Christo mereas, ut cælo, ut tantæ felicitati; castitatem, quam sacramento aut etiam religio-

ne

ne vovisti, non integram servabis? at con-
clude ut voles: ego verò concludam vel te
planè atheum, vel te, si ista credis, ut credis,
planè Dei.

PARS QUARTA:

Conclusio secundi libri.

SEd jam receptui canendum.

Erexi monumentum, uti cum gratiâ
Dei spero, *are perennius*. Sculpsi, inquam, in
tabulis carnalibus aureum aureo caracte-
re AMOREM. Traxite in funiculis Adæ tri-
bus; & scis funiculum triplicem difficilè
rumpi. Nam cum omnia bona jucundo ser-
viant, honesto, vel utili; suavitas amici in
Deo summa est, ut vidisti; honestas amicitix
in *Domino* immensa, officiorum ratio at-
que utilitas in *Patre* infinita.

Nunc, ut aliquando cum Augustino per-
orem; rogo te, si aliqua *statera equitatis* inve-
nitur in arcâ cordis tui, appende. Quid ap-
pende? Deum, mundum. Deum, quo pul-
chrius, nobilius, potentius, sapientius, æqui-
us, amantius tui, amabiliusque tibi nihil:
mundum, quo nihil ex adverso fœdus, vi-